1227 8/5 Convent of Gdańsk (prov. Polonia)

Bishop Michael of Kuyavia confirms Duke Świętopełk of Pomerania's donation of the Church of St. Nicholas in Gdańsk to the Friars Preachers.

Source: Transcript (1579 18/12). Fürstlich. Czartoryskischen Bibliothek, Krakow (cf. PomlUB).

> Ego Michael Dei miseratione humilis Cujavie episcopus tam presentibus quam futuris presens scriptum inspecturis insinuandum dignum duxi, quod pauperum Christi videlicet fratrum ordinis predicatorum sancte devotioni et toti mundo pernecessarie eorum religioni paterna sollicitudine in nostro episcopatu providere cupiens ducem Pomeranie Swentopelcum solicitis precibus pulsare curavi, ut eos in ecclesiam sancti Nicolai in Gdansk vellet collocare, quoniam capellanus predicte ecclesie Wilhelmus pro commutatione eque bona vel meliori tam devote quam libere resignavit. Qui benigne precibus nostris aurem accomodans predictam ecclesiam predictis fratribus ab omnibus conditionibus liberam et secundum ordinem eorum expeditam cum omnibus oblationibus et sepultura gratanti animo conferre curavit in perpetuum possidendam. Ut igitur tam legitimum factum ratum perduret et inconvulsum, presenti pagine curavi firmamentum adhibere atque sigillorum mei et Vladislaviensis capituli testiumque munimine roborari. Quisquis igitur ausu temerario aut invidie stimulis agitatus huic donationi seu nostre confirmationi aliquatenus contraire attentaverit, Dei omnipotentis indignatione et anathematis gladio se noverit esse plectendum. Testes autem sunt: Bervoldus Plocii prepositus, Vincentius decanus, Petrus archidiaconus, Johannes scholasticus, Johannes custos, Grimaldus cantor Vladislaviensis, Venceslaus sancti Michaelis prepositus, Albertus decanus, Martinus scholasticus, Albertus custos Croswicensis et tota synodus de Buchow. Actum anno gratie MCCXXVII in octavis apostolorum Philippi et Jacobi.

Published: *Pommerellisches Urkundenbuch* no. 36.